



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An incestus, sive copula carnalis habita cum Consanguinea uxoris suæ
impediat, vel dirimat Matrimonium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITULUS XIII.

DE EO, QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUAE, VEL SPONSAE.

Agitur in hoc Titulo de impedimento dirimente affinitatis, quæ oritur ex copula cum consanguinea suæ uxoris, vel sponsæ, ut videbimus.

§. I.

An incestus, sive copula carnalis habita cum Consanguinea uxoris suae impediatur, vel dirimat Matrimonium?

Respondetur dirimere quidem contrahendum, non tamen contractum; ita ut, qui nondum contracto matrimonio, copulam perfectam cum aliqua habet, non possit consanguineam illius in certo gradu, valde in Matrimonium ducere, ob affinitatis contractæ impedimentum; si verò, contracto iam validè matrimonio, incestuosam & adulteriosam copulam scienter habet cum suæ uxoris consanguinea, intra gradus prohibitos, amittat quidem jus petendi debitum, & aliud post mortem suæ uxoris matrimonium licitè contrahere non possit (saltem de jure antiquo) si contrahat tamen cum aliqua, non affine in gradibus prohibitis, matrimonium, tale non dissolvatur, prout statuitur in c. si quis 1. b. t. & c. Transmissæ 4. eorum, ac magis ex dicendis patebit.

§. II.

Virum affinitas superveniens etiam per copulam illicitam dissolvat sponsalia de futuro, vel etiam sponsalia de presenti, sive matrimonium nondum consummatum.

Respondetur primò, dissolvi ipso jure prima sponsalia de futuro, per copulam illicitam cum consanguineis sponsæ v. gr. (in certo gradu) habetur ex c. Veniens 2. b. t. ob impedimentum affinitatis superveniens. 2. secundò non dissolvi tamen sponsalia de presenti; sive matrimonium, quamvis nondum consummatum sit per copulam talem illicitam, cum Consanguineis uxoris, ut ex dictis jam pater, & ex c. Discretionem 6. b. t. cum matrimonium etiam ratum sit indissolubile, extra casus à jure concessos, prout ex dictis jam pater.

§. III.

An impedimentum affinitatis dirimens matrimonium contractum probetur per assertionem unius vel confessionem utriusque.

Ex c. de illo 3. & ex c. super eo 5. b. t. habetur, quòd nec unius, nec utriusque assertio ad dirimendum matrimonium sufficiat, si nullum illud esse

patet.